

humana fragilitate laqueis vanitatis irretiantur (Conc. Prov. Compostellatum an. 1887 tit. v, c. 14). Proinde expedit eas in medio saeculi tumultu velut eremum incolere, inutiles visitationes et otiosa colloquia devitare; siquidem ex nimio cum extraneis commercio haud levia caperent detrimenta.

IX. — In quaeritandis eleemosynis ne modus exce-
datur. Ad varia autem praecavenda incomoda prohibe-
mus, ne stipem collecturae circumcurrent, nisi venia
ab Episcopo impetrata, cuius erit necessarias praesciri-
bere cautelas.

X. — Fluctus calamitatum, et tribulationum aquae multae, non extingunt caritatem, neque erga Deum, neque erga proximos. Quare, mulieres Christo mancipatae, atque illae in primis quae a caritate nomen trahunt gloriosum, laudabiliter facient, si susceptos olim labores et providentialia munera, iam non collegialiter, sed pro suo quaque modulo obire perseverent. Idem sit atque antea misericordiae sensus in pauperes, senes et aegrotos; idem promptus et hilaris animus ad beneficandum; eadem in christiana parvolorum educatione solertia. Attamen his aliisque id genus operibus non sine debita circumspectione operam navabunt.

XI. — Praecipua diligentia propriae animarum perfectioni prospiciant. Colant temperantiam, alant in se pietatem, virtutum omnium splendore Ecclesiam exornent; Domino Iesu Christo, qui ipsarum constantiam nunc temporis exercere dignatur, humili ac fidenti animo adhaereant, eique soli studeant placere.

XII. — « Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant ut eo se salutari praesidio muniant, ad oppugnationes daemonis fortiter superandas » (Conc. Trid. Sess. xxv *De regularibus*, cap. 10). De earum autem confessio-

riis sive ordinariis sive extraordinariis, iuris dispositio-
nibus standum erit, praesertim legi Trid. (loco cit. — Bullae *Inscrutabilis* Gregorio XV. — Bull. *Pastoralis* Bened. XIV, 5 Aug. 1748), Sacrae Cong. decretis, et illi nominatim quod die 17 Decembr. an. 1890 promulgatum fuit.

Denique ipsis S. Cypriani verbis universas bono animo esse iubemus: « O bonae virgines, quae Deo et Christo vacantes, ad Dominum, cui vos devovistis maiori et meliori parte praeceditis. » (De disciplina et habitu virginum). Utique, odit eas mundus, quia mundus eis dignus non est; sed Agnus Immaculatus, quocum sanctissimas nuptias inierunt, eas non derelinquet, dummodo ipsae divino Sponso fidem servent intemeratam.

SECTIO II.

DE PERFECTIONE CLERI

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Quamvis omnibus christianis dictum sit: « Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est » (Matt. v, 48); « quia haec est voluntas Dei sanctificatio vestra » (I. Thes. iv, 3); insignis tamen vitae perfectio illis potissimum competit quos Dominus ex tot millibus hominum selegit sibi, et in suam sortem vocavit.

Quicumque enim ad sublimem sacerdotii dignita-
tem aut iam evectus est, aut saltem destinatus, quasi
medius stat inter Deum et homines, ideoque iuxta mo-

natum Apostoli, studeat oportet « providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus » (Rom. XII, 17), nec satis habeat internas virtutes colere, verum et in externa agendi ratione ita Dominum Iesum induat ut fidelibus optimo iure dicere possit: « Imitatores mei estote sicut et ego Christi » (Cor. XI, 1).

Sed si ulla umquam fuit aetas qua clerici sal terrae, lux mundi et lucerna super candelabrum merito vocari deberent, haec est profecto, cum illorum numerus adeo sit imminutus. Quemadmodum ineunte saeculo XVI, et quidem in hac ipsa regione nostra paucissimi viri apostolici, pro eximia qua fulgebant sanctitate, operam suam duplicarunt, et sic ingentes hominum turmas traduxerunt ad fidem; ita nunc quoque flagitat paucitas sacerdotum ut qui in sacros ordines Dei munere leguntur, virtute prorsus singulari et excellenti sedulitate exigua copiam compensare nitantur (S. D. N. Leo XIII, Encycl. *Etsi nos*, 15 Febr. 1882); ac denique fructum afferant non trigesimum tantum, sed et sexagesimum et centesimum.

Fructus autem e vitae exemplo maxime pendent, quia nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitantur (Conc. Trident. Sess. XXII, cap. I *De reform.*).

Quum igitur praecipua huius Synodi cura sit ut nobiliores Ecclesiae filii in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum, hasce regulas statuit et servari praecipit:

§ I.

De clericali coelibatu.

I. — Universim monet omnes qui sacris iniciati sunt, ut quidquid eos a ministerio rite fungendo abducit vel dedecet status excellentiam, vel apud fideles iustum habet offensionem, cautissime fugiant. Pareant autem saluberrimis decretis Concilii Tridentini de vita et de honestate clericorum.

II. — Dominus Iesus qui pascitur inter lilia, impollutam mentis et corporis munditiem a ministris suis postulat: ipsi enim officio angeli sunt, panem angelorum edunt, et in eorum manibus Dei Filius velut in utero virginis incarnatur » (S. August. Conc. 2 super Ps. 37). Idcirco, quam Deo promiserunt castimoniam, religiose custodian, sensus externos accurata vigilancia cohibentes, obluctantes omni tentationi, corpore etiam in servitutem redacto, ne cum aliis praedicaverint ipsi reprobi fiant.

III. — Non solum a foedioribus delictis, sed etiam a tenui labo, immo a specie mali abhorreant, aliquin perniciem ceteris per scandalum allaturi. « Nemo quippe in Ecclesia nocet amplius quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet » (S. Greg. Pastor. 1). Sacerdotum autem vitia quantumvis exigua neutiquam occultari possunt, hisce praesertim temporibus cum tot inimici clerum circumsistant; impii videbilet, increduli et haeretici, qui infenso animo leves etiam maculas in presbytero avidissime notant, opportunitatem undique captant Christi Sponsam Ecclesiam arguendi et calumniandi.

IV. — Cum feminis, praesertim adolescentioribus

etiamsi magnam habeant virtutis existimationem, nulla clero intercedat familiaritas, et a frequenti earum visitatione abstineat tamquam a veneno prae ceteris mortifero. « Ut ut enim castitas in muliebri consortio servari queat, raro tamen bonum nomen retineri potest » (Conc. Prov. Cameracense, tit. VIII, cap. 3. — Constit. Dioeces. Ratisb. III, 1).

V. — Sermo cum mulieribus, piis licet ac devotis, sit gravis, modestus et severus potius quam nimiam facilitatem redolens.

VI. — Feminas externas non excipiat neque invitiat sine testibus, nullasque domi habeat, nisi sint ex iis proxime cognatis quas canones cum presbyteris habitare concedunt, dummodo nullam occasionem praebent scandalosae suspicioni (Confert Conc. Nicaen. I, cap. 3. — Decretal. lib. III, tit. 2, cap. 9). Neutiquam etiam neque ratione matrimonii proximi futuri, admittant feminas in depositum, uti vulgo dicitur, neque orphanas.

VII. — De famulis autem, quamvis summopere optandum foret ut clericus ad res domesticas procurandas dumtaxat viris utatur, quoniam tamen pro rerum adiumentis aliquando famulas adhibere necesse est, in usum revocata volumus quae pluries sancita fuerunt, nimirum ut sint aetatis matuiores, non minus quadraginta annorum, compertae virtutis, integerimae famae, minime garrulae, nec procaces, nec mundanis oblectationibus inhiantes.

VIII. — Si quas ancillas aut cognatas secum alit presbyter, non moretur absque necessitate in locis ipsarum officiis deputatis, neve illas socias admittat sive ad deambulandum per urbem sive ad rusticandum (Confr. Concil. Provinc. Coloniense an. 1860).

IX. — Indulgendum non est ut famulæ vel propinquæ choreas frequentent seu quidquam agant quod domui sacerdotali non sit plane consentaneum. Nullæ earum permittantur dominatricis partes sibi arrogare, aut rebus quae ad ipsam non pertinent semet ullo praetextu immiscere. Quin potius de rebus ecclesiasticis coram mulieribus ne sermo fiat.

X. — In clericos contra præscriptiones canonicas de vita coelibe delinquentes, Episcopi, ea qua par est, severitate et caritate, exercebunt potestatem a Conciliis et Romanis Pontificibus ipsis attributam (Confr. Trid. Sess. VI, c. 3. — Sess. XIII, c. 1. — Sess. XIV, Prooemium, et c. 4. — Sess. XXII, c. 1. — Sess. XXV, c. 14). Si Dei minister, quod absit, cum sacris ordinis contumelia, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versetur, vel mulierem de qua possit haberi suspicio, in domo vel extra domum detinere, aut ullam cum eo consuetudinem habere audeat; poenis a sacris canonibus et generali præsertim Tridentina Synodo impositis contra eum procedatur.

XI. — Sed ne unquam uti rigore inviti cogamur, omnes huius Provinciae ecclesiasticos, dilectissimos nobis in Christo fratres, instanter rogamus, eosque per Iesu Christi sanguinem, per salutem fidelium, per ipsam clericorum aeternam salutem adiuramus, et sub attestacione divini iudicij præcipimus ut omne scandalum sollicite removeant, omnem occasionem perniciosa per præscindant; nihilque intentatum relinquant quo templo Dei, quod ipsi sunt, custodiant inviolatum.

§ II.

De temperantia.

I. — Temperantia, quae castitatis tutamen et praesidium est, omnibus enixe commendatur; « Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes.... et nolite inebriari vino in quo est luxuria » (Ephes. v, 15, 18). « Attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in cracula et ebrietate, et curis huius vitae: et superveniat in vos repentina illa dies » (Luc. xxi, 34).

II. — Gaudemus quidem et in Domino gloriamur quod clerus noster « sobrius est et vigilans »; nihilominus quo magis in hac virtute magisque firmetur, sciat se poenas daturum esse gravissimas quicumque propriae immemor dignitatis, se statumque suum nimia potatione dehonestet.

III. — Ad omnem huiusmodi corruptelam efficacius resecandam, Concilium hoc Antequerense, onerata Episcoporum conscientia, praecipit ut in conferendis parochiis aliisve muneribus ecclesiasticis, constanter eliminare curent clericos illos qui ebrietatis vitio aut manifeste dediti sunt, aut saltem vehementer suspecti. Nempe praeter alias rationes omni studio cavendum est ne sacramenta, indigne tractentur aut debita intentione deficiente, invalide administrentur. Isaias quidem dicit: « Sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt iudicio ».

IV. — Parum esset quod clerici dumtaxat turpem intemperantiam aversentur, nisi adhuc occasiones minoris aedificationis studiose devitent. Numquam itaque, excepta sacri ministerii causa, tabernas vel cauponas

suae paroeciae aut viciniores ingrediantur. Quod si in itinere honestum aliquod diversorum ingredi vera necessitate coguntur, haud multum ibi maneat summaque praeseferant modestiam, gravitatem et temperantiam. Exoptamus autem ut in quavis civitate episcopali, Praesul aliquot seminarii cubicula reservanda et disponenda curet, ubi clerici, qui negotiorum causa Curiam adeunt, decenti hospitio excipientur.

V. — Nimii ne sint in frequentandis saecularium conviviis: baptismalia vero et nuptialia, quoad possunt, declinent. « Laici consolatores potius nos in moeroribus suis quam convivas in prosperis noverint. Facile contemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire non recusat » (S. Hieron. Epist. ad Nepotianum).

§ III.

*De fugienda avaritia
et de modo dispensandi bona temporalia.*

Nihil fidelium animos ab ecclesiastico viro magis avertit quam opinio illum esse quaestosum et avarum. Maledicta tenacitas, ait S. Carolus Borromaeus, pastores Deo et populis suis reddit exosos, eorumque vitae et sermonibus omnem adimit fidem. « Avaritia autem omnia contaminat; haec Missas, haec choros, haec praedicationes maculat, cum propter cupiditatem fiunt.... Alii Missarum obligationibus se onerant, quas nec postea persolvunt; alii chorum lucrandi tantum gratia frequentant; alii sordidissime funeralium mercatores videntur, oh si ecclesiae et altaria loquerentur, quam multas audiremus querelas! » (S. Carolus Borrom. in Actis Ecclesiae Mediolanensis).

Sane, lugendum foret, si sacerdos, non pietatis zelo, sed aestu avaritiae flagrans, terrenas divitias in militia Christi cupidius ambiret aut forte etiam, corde obdurato, Deum postponeret mammonae. Sciant « avaro nihil esse scelestius ». (Eccli. x) et reformidet diem supremae vindictae in qua « nihil invenerunt omnis viri divitarum in manibus suis » (Psalm. 59).

Aliorum itaque Conciliorum vestigiis inherentes, ut quaevis macula a meritissimo huius Provinciae clero prorsus deleatur, has ipsi regulas custodiendas proponimus:

I. — Cavendum est ne inordinata divitarum cupido, quae simulacrorum servitus est (ad Col. III, 5), a rebus minimis exordiri solita, animum incautum pauplatim possideat eique dominetur. « Nam qui volunt divites fieri, incident in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et temptationem » (I Tim. vi, 9). Cunctis igitur peramanter suademus ut praeципuam operaे suaे remunerationem minime reponant in temporalibus emolumentis, verum in ipso Domino qui est pars haereditatis nostrarę et calicis nostri, dives in omnes et merces magna nimis.

II. — Etsi aequum omnino est ut, qui altari serviant, altaris oblatione sustententur (S. Hieron. Epist. ad Nepotian.), decet tamen laboris retributionem haud durius exigere nihilque flagitare praeter stipendum a dioecesana lege praestitutum. Pauperum inopiae indulgendum est potius, quam onera imponenda graviora, praeeunte Apostolo: « Cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui » (II Cor. XI, 9).

III. — Turpe esset lucrativa officia sponte et libenter obire; ea vero ex quibus nullum pecuniae com-

modum speratur, repudiare. Quamobrem, ii ad quos spectat, ne detrectent fidei elementa rudioribus explanare, excipere confessiones, Extremam unctionem ministrare, applicare indulgentiam moribundis, pagos paroeciae coetusque pauperiores interdum visitare, maxime quum paschali praecepto satisfaciendum est. Haec omnia, atque id genus alia, parochi eorumque vicarii, nullo exacto stipendio, libenter adimpleant. Quem vero Episcopi deprehenderint huic praescriptioni defuisse, eum pro culpe gravitate castigabunt.

IV. — Clerici autem qui, ministerio parochiali non adscripti, haec officia caritatis obibunt (v. gr. tempore missionis confessiones audiendo in loco a residentia sua distanti) iustum mercedem accipere poterunt, non quidem ratione Sacramenti, sed itineris et laboris insoliti.

V. — Haud minori caritate, neque animo minus benevolo, egenos foveant, quam divites; imo, nisi ipsi facultatibus sint destituti, aliorum miseriam elemosynis sublevare non omittant. Vana est illorum excusatio, qui nimis anxiā sollicitudinem in posterum allegant; nempe, futuras suas et imaginarias necessitates praesentibus membrorum Iesu Christi indigentiis anteponunt. (Conc. Strigoniense an. 1858, tit. VI).

VI. — Nonnumquam, in religiosis festis celebrandis, maxime apud ruricolas, vis ingens pecuniae profunditur in musicorum apparatus, pompam exquisitam, profana etiam oblectamenta. Qua in re Presbyteri assidue doceant fideles, summam templi et cultus magnificentiam minime quidem reprobandam esse; imo studiose promovendam, dummodo tamen non obliviouscantur pauperum, qui sunt templa Dei viva. Nam « religio munda et immaculata apud Deum et Patrem

haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione (Sap. I, 25) et panem frangere esurienti. »

VII. — Quamquam proximi clericorum parentes, maxime si aetate fracti sunt, et rei familiaris angustia pressi, negligi non debent, nihilominus cavendum est ne plus aequo illos ditare studeamus, lucra passim quaeritando, quasi nostri pluris intersit temporalis cognitorum prosperitas, quam spiritualis populorum.

VIII. — In fortunae bonis administrandis, si quae habet sacerdos, devitet quidquid ordini suo prebro esset, vel laicis offensioni; neque expensas ultra vires faciat, ita ut aere alieno opprimatur. (Concil. Colocen. an. 1863, tit. IV, c. 15).

IX. — A saeculari fastu alienissimi esse debent ecclesiastici viri. Ipsae eorum domus sacerdotalem modestiam annuntient oportet: nimirum, cuncta in eis honesta et ordinata appareant, sed absque ulla sumptuositate vel mundana ostentatione: supellex, non sordida, imo mundissima, simplex tamen (Concil. Ultraiectense an. 1855 tit. VIII, c. 3). In aedibus nullae videantur imagines indecorae, at religiosis potius symbolis adornentur.

X. — Diligenter caveant ne bona Ecclesiae cum propriis confundantur; vel ad consanguineos transeant (Cfr. Trid. Sess. xxv, c. 1. *Ref.*). Quare servanda sunt quae ius commune praescribit de eiusmodi bonorum usu, conservatione et a propriis separatione. Beneficiariis omnibus in memoriam revocatur fructus beneficii, qui, praeter honestam sustentationem exstant superflui, in usos pios esse expendendos; quae obligatio, per se gravissima est.

XI. — Non solum Episcopis et parochis, uti iam statutum est, sed aliis etiam clericis commendamus ut,

qua tutissima videbitur ratione, ad normam legum ci-vilium, de operibus suis testamentum conscribant, tum quo forensibus litibus aditus praeccludatur, tum etiam ne forte ea quae sacris usibus addicenda forent, haeredum cupiditate diripientur.

¶ IV.

De prohibitis negotiis, artibus et officiis saecularibus.

I. — Ne cupiditas, omnium malorum origo, animos invadat, eosque a vocationis muneribus avertat, ii qui in sacris constituti sunt, aut beneficiati, cuiuslibet nominis et generis negotiationem, sive pro se aut pro aliis, sive pro causa pia, exercere prorsus vetantur. Qua in re fideliter observent quae per Romanos Pontifices, praesertim Benedictum XIV (Const. *Apostolicae servitutis*, 25 Febr. 1741), et Clementem XIII (Const. *Cum primum*, 17 Sept. 1795) iampridem decreta fuerunt.

II. — Haec praecepta violantes, praeter gravis peccati reatum, subiiciuntur poenis a iure statutis, quae in suo robore ac firmitate permanent. Porro sanctiones illae extenduntur etiam ad clericos qui sub alieno laici nomine quomodocumque negotiantur. Si vero haereditate, aliove necessitatis titulo, ad ecclesiasticum devenerit negotium, statim est dimittendum, vel si absque damno id illico fieri queat, negotium non potest continuari sine licentia Episcopi, et ne tum quidem nisi per interpositam personam laicam, atque ad tempus solum a Praesule determinandum. (Benedict. XIV, Const. cit. et De Synodo Dioecesana, lib. VIII, c. 49 § 2, Concil. Mexican. III).

III. — Ut castitas in deliciis, humilitas in divitiis, ita et pietas pericitatur in negotiis (S. Bernard. *De Conversione ad Clericos*, c. 21), et nemo specialiter militans Deo, implicit se negotiis saecularibus. Hinc ecclesiastici in sacris, aut beneficio praediti, non possunt munus exercere curatoris vel tutoris, nisi pupilli sint proxime propinquui: nec quodvis ministerium publicum, ex quo obligentur ad reddendas rationes de iustitia aut de bonis administratis.

IV. — Eidem prohibitum est officium iudicis in causa sanguinis, nec possunt apud laicum tribunal partes agere notarii vel advocati, nisi quis propriam causam defendat, aut Ecclesiae suae, aut propinquorum usque ad quartum gradum, aut miserabilium.

V. — Litem nemini inferant in curia saeculari nisi venia impetrata a proprio Ordinario.

VI. — Exercitium medicinae per sacros canones vetitum est tum subdiaconis, tum altiore gradum adeptis.

VII. — Puniendi etiam erunt clerici artem quamlibet exercentes quae status sui decori contraria sit.

¶ V.

De ludis, armis, et actionibus profanis.

I. Nullus beneficiatus aut sacro ordine initiatus, ludis operam det, neque cum aliorum scandalo iisdem ut spectator assistat in locis publicis, aut in domibus in quas, ludendi causa, multitudo hominum convenit.

Quia tamen honesto solatio omnino favendum est, permittitur ecclesiasticis, ut animi recreandi vel amicitiae fovendae causa, ipsi inter se vel cum laicis optimae famae (non tamen cum mulieribus) ludis va-

care possint, qui non sint aleatorii vel merae sortis, modo id fiat parce, cum ea modestia quae clericalem ordinem decet, atque ita ut sacra munia nihil detrimenti patientur; « Ludos igitur fugiant illicitos, licitis sic utantur ut ne per excessum vel scandalum illiciti fiant » (Concil. Baltimor. II, tit. 3, c. 6).

II. — Sacri canones prohibent venationem clamorosam, cui autem sine strepitu fit non detur opera diebus festis aut ieiunio sacris, et numquam multum protrahatur, neglectis vocationis officiis vel presumptuosa clericali dignitate.

III. — Praeterea vetat haec Synodus ne arma ullius generis offensiva aut defensiva diu noctuve clericus gestet. Sicubi vero immineat periculum, socios adhibeat, qui cum moderamine inculpatae tutelae, vim repellere possint. Ipse autem armis non utatur, nisi alia ratione propriam vitam tueri impossibile sit.

IV. — A locis mercaturaे, (vulgo *mercado*) nisi necessitate cogente, se prorsus clericis subtrahant, ne lapides sanctuarii in medio platearum dispergantur. Quod ibi coëmendum esset, per alios sibi comparent. In locis publicis, quando populus ibidem congregatur, ne moram ducant ad confabulandum (Concil. Prov. Tuanense III, an. 1858, c. 5).

V. — A sanguinolentis taurorum ludis, seu publicis eorumdem agitationibus, ecclesiasticos omnes expressa lege arcemus.

VI. — Nefas est clericos inania adire spectacula, in quibus forte aures et oculi, sacris officiis addicti, ludicris actionibus sermonibusque contaminentur (Concil. Prov. Mediolanense I). Quo circa sub obedientiae praecepto prohibemus ne, in publicis et profanis theatris ulla scenicis actionibus intersint.